

4. 2. 00
20.

Dissertatio Medica Inauguralis

DE CHOREA,

QUAM,

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOHANNIS CAROLI FRIDERICI HAUFF,

ORD. MATH. ET PHYSICORUM PROF. ORD.,

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITÈ AC LEGITIME OBTINENDIS

IN ACADEMIA REGIA GANDAVENSI,

PUBLICÈ DEFENDET

DESIDERIUS JOSEPHUS GEERSENS,

OSTENDANUS,

DIE 10 AUGUSTI 1827, HORA NONA, IN AULA ACADEMICA.

GANDAVI, TYPIS A. B. STÉVEN.

mmvii

M D CCC XXVII.

Disseratio Medica Inauguralis

DE CHOREA

QUAE

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOHANNIS CAROLI FRIEDERICI HAUPT

ORD. MATR. ET PHYSICORUM PRIN. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE PUGNETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUBMISSIOE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE AC LEGITIME OBTINENDIS

IN ACADEMIA REGIA GANDAVENSIS

PRIMUM PUBLICATA

PRAESENTIUS JOSEPHUS GRIEKEN

OSTENDENS

DIE 10 AUGUSTI 1827, ROMA ROMA, IN ALTA ACADEMIA

GANT. VI. TYPE A. N. STYLA

1827

IN A. N. STYLA

PARENTIBUS OPTIMIS,

UT GRATITUDINIS MONUMENTUM,

FRATRI SORORIBUSQUE CARISSIMIS,

UT AMORIS ET PIETATIS FRATERNAE TESTIMONIUM.

*Hasce studiorum qualescumque primitias
dedicat Auctor.*

PARENTHESIS OPTIMA

UT GRATITUDINE MONUMENTUM

~~~~~

Het Specimen opgesteld zijnde , zal hetzelfde aan de beoordeeling der Faculteit onderworpen worden , om toetzieen , dat daarin niets gevonden worde , strijdig aan de openbare orde en goede zeden ; blijvende voor het overige ieder onverlet , de vruchten zijner overtuiging voor te dragen , zonder dat die in eenig geval voor het gevoelen der Faculteit of der Hooge School zullen gehouden worden.

*(Art. 56 van het Reglement op het hooger onderwijs).*

~~~~~

Hijze studium professorum primarias
Hillem Auctor

DISSERTATIO

MEDICA INAUGURALIS

DE CHOREA SANCTI VITI.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo.

HOR.

VARIÆ hùc usquè variis de choreâ propositæ ab auctoribus fuère defini- Morbi definitio.
tiones, sed indubitanter abest, quin omnes pro minimâ quidem inter
sese parte convenient; plurimæ potiùs, nec sede, nec indole, nec
prodigosâ denique formâ morbi perspectâ, hujus inexactam tyronibus-
que difficilem intellectu tradunt ideam. Sed quin de his plura, vetant
coarctati dissertatiunculæ nostræ limites; attamen silentio minimè possumus
præterire recens ac longè latèque celebratum opus (1). Quis etenim rei
medicæ peritus hanc Doctoris Geoffroy definitionem choreæ adæquatam
sustinebit: *foiblesse et traction de l'une des jambes avec léger idiotisme et
mouvemens désordonnés et convulsifs qui affectent les membres d'un seul
côté?* Nonne desideranda hìc rejiciendaque plura? Nam 1° ubi morbi
sedem designare voluerit auctor, frustrâ quæreremus; 2° debilitas, ut sat
unicuique patet, haud semper hìc est accusanda; 3° hos nunquàm motus
involuntarios nisi unum corporis ulterumve afficere latus, omnium multi-
fariis auctorum practicorum observationibus, qui contorsiones inanesque in
choreâ gesticulationes universum ferè corpus occupantes tàm sæpè vide-

(1) Dict. des Sc. Méd., art. *Chorée*.

runt, planè repugnat. Nobis verò choreæ sancti Viti nomine venit: alteratio illa systematis cerebro-spinalis undè generales vel partiales musculorum voluntariorum motus insoliti, clonico-convulsivi et irregulares, ægri nequaquàm voluntatis imperio cohibendi, nullâque sæpè, aut leviori tantùm modò facultatum intellectualium perturbatione stipati.

Etymologia. Morbus exindè chorea (1) sancti Viti vocatus fuisse dicitur, quòd in Germaniâ ubi primùm a medicis fuit observatus, plebs rudis ac aspera cultu, crassâque superstitione ducta a sacello sancti Viti monasterii Corveyensis patroni, auxilium adversùs hunc aut verum aut fictum animo morbum, certo anni tempore, die noctuque saltando impetrare solebat. Sed quàm latè hujus inclaruerit monasterii nomen posse ex eo nasci videtur, quòd anno 1374, vulgus illuc, morbo quodam spasmodico per totam ferè Germaniam epidemicè grassante atque Raphania (ex cornuto secali farinae) dicto, salutem obtinendi gratiâ confluebat.

Auctores intereà non desunt inter quos G. Horstius præcipuè annumeratur, qui morbi nomen ab ædiculâ quâdam rusticâ propè Ulnam Sueviæ urbem sitâ, sanctoque a Germanis *Witt* vocato sacrâ, venisse contendunt. Quidquid autem sit, ne diutiùs quàm deceat in re tàm parvi hæreamus momenti, jàm ad morbi historiam animum adpellimus.

Historia. Omnes ferè qui de choreâ scripserunt auctores eam prorsùs ab antiquitate incognitam dicunt; quippè nulla hujus affectionis accurata apud veteres occurrat descriptio. Nos verò a tàm mancâ conclusione recedentes morbum hunc nervosum ab omni ævo extitisse, sed vanis medicam ejus cognitionem superstitionibus obrutam fuisse credimus; etsi nulla apud Hippocratem certa morbi vestigia reperiantur, hunc paralysi forsàn aut aliis diversis convulsionum speciebus adscripsisse.

Nonnullis intereà choreæ vetustatis scrutatoribus quidam in scriptis

(1) Choreia venit a Gr. χορεία, saltatio: *Viti saltus*, Felix Plater; *Saltatio Sancti Viti*, Horstius; *Ballismus* a Gr. βάλλισμος, saltatio, Plouquet; *Chorea Sancti Viti*, Sydenham; *Scelotyrbes* a Gr. Σκελος, crus, et Τυρβη, tumultus seu cruris perturbatio, Sauvages; et alia incongruentia uti *Choreomania*, *Orchestromania*, *Tarantismus* a morsu Tarantulæ productus. Gall. *Chorée* ou *Danse de St. Guy*; *Sint Vitus Dans*.

Plinii locus arisit (lib. XXV c. III). Sed quis medicorum præconceptâ opinione liber affectionem *scelotyrben* a naturalistâ vocatam, hanc nihil præter nomen incongruum cum choreâ commune habere primâ fronte non dicet? Memoratum etenim morbum qui Cæsaris Germanici exercitum in Frisiâ commorantem invasit, affectionem fuisse scorbuticam satis probant et symptomata a Plinio descripta, et causa mali quæ ex pravâ nutrientorum et aquarum indole quibus Romani talibus non assueti, durâ tunc, ut sæpè, necessitate uti cogebantur, originem ducebat; probat deniquè Frisiæ clima ubi tunc Germanicus castra posuerat, scorbuto epidemicè grassanti, nostris adhuc diebus obnoxium.

Ne quidem Galenum certiores choreæ notiones habuisse aliquo sanè jure autumare possumus; nam quem sub nomine *scelotyrbes* morbum definit, non solùm inexactam admodùm saltationis sancti Viti descriptionem præbet, sed et aliis illa variis plurimisque convenire affectionibus valet.

Non mirum si ullus necdum auctorum Galenum insequentium ne minimam ante sæculum XVI de choreâ mentionem fecerit; in hâc enim, ut quondam epilepsia, asthma nocturnum, catalepsia aliaque nunc cœlesti nunc verò infernali potentiæ non rarò tribuebantur, magia non minori cum ineptiâ accusabatur. Tanta erat in his sæculis, quæ tam densâ nobis historia superstitionis caligine sepulta depingit, ignorantia, ut medicis rudibusque theologis ridiculum esset axioma: si patiens membrorum aut totius corporis contorsiones atque gesticulationes perficit, quas nemo sanus, nequidem mimus, aut gesticulator quispiam, imitari solet, dubium non est quin in hâc tragædiâ diabolus partes suas agat (1).

Exeunte tandem sæculo XVI plures practicum de choreâ confusè scripserunt, eamque nobis primi F. Plaser, G. Horstius et D. Sennert inexactè sub Viti saltûs nomine delineatam, credulique tantis adhuc vulgi erroribus obscuratam tradiderunt, ut alium ipsi nullum choreomaniam tunc temporis confessam sanandi modum noscerent, quàm saltationem ægrorum indefessam aut piis eorum longioribusque sancti Viti auxilium supplicatio-

(1) Willisius de morbis convul. C. 7 p. 101.

nibus impetratum. Itaque diù agyrtis potius quàm medicis morbi cura mandabatur, donec tandem hos omnes superstitiosis usus meritò contemnens accuratè primus Sydenham (1) choream descripsit, egregiosque sanguinis missionum effectus in hanc devincendam indicavit. Postea nonnulli in Angliâ practici inter quos Celeb. Cullen, Wytt, Cheyne, Dover, Mead, nova de hâc affectione documenta dederunt. Sed dùm Angliæ quàm plurimi atque Germaniæ medici morbi cognitionem ejusque curam universæ prodere conarentur Europæ, in hunc ullam necdùm ferè attentionem Galli converserant, ita ut non miremur, si, regnante Ludivico XV, Lieutaud regis archiater, illius negaverit existentiam. At plurimi mox atque præclari in arte viri ad choream investigandam contulerunt ingenium. Inter varia variis de hâc novâ materie scriptoribus in lucem prolata haud immeritò ubique citari merentur: Tractatus de Choreâ, auctore Bouteille (2), excellens quoque eminenti suâ perspicuitate Monographia præstantissimi in medicinâ Berntii (3); non exiguâ sanè cum eruditione Tractatus à præclaro Stransky nuper scriptus benè meritis laudibus extollatur (4).

Tot alii jàm triginta abhinc annis auctores magnâ ingenii solertiâ præditi choream perscrutârunt, ut in omnibus ferè modernorum scriptis inveniatur. Sed tot tantaque restant adhuc systematis nervosi dilucidanda, quamvis in hoc jàm plurimi insudarunt viri ingeniosissimi; hinc tantis adhuc natura convulsionum obtegitur tenebris. Utinam gravissimi igitur momenti labores clarissimorum doctrinâ Lallemand, Magendie, Georget aliorumque ad scientiam rerum medicarum promovendam non irritè suscepti, brevi memorandis coronentur investis!

Symptomata. Quùm chorea aut subito vel ut ita dicam fulminis instar ingruit, aut lentè insidias struit, hujus symptomata in prodroma et essentialia sive pathognomica dividimus.

(1) Scheda monitoria de novæ feb. ingressu.

(2) Traité de la Chorée ou Danse de St. Guy. Paris, 1810.

(3) Monographia Choreæ Sancti Viti. Pragæ, 1810.

(4) Tractatus de Sancti Viti Choreâ. Vindobonæ, 1822.

Consuetissima igitur prodroma sunt : generales ægritudinis sensus, faciei Prodroma. decoloratio, morositas, sinè causâ timiditas, solitudinis amor, anxietas præcordialis, suspiria, cordis palpitationes, ventris nonnùmquàm intumescencia, manuum tremor, rarò fornicationis in membris sensatio, cephalalgia, rigor musculorum colli et oris spontanea deductio, vocis raucedo, frequens et inconsueta nictitatio, risus atque fletus involuntarii, et præcipuè artuum inferiorum dolores.

Nullò in morbo symptomata pathognomica tàm multifaria, mirabiliaque Pathognomica. quàm in choreâ observantur; hæc ideò tyrones nisi magnis multisque difficultatibus accuratè depingere valent; itàque lectoris benevoli indulgentiam exposcentes nostrum pro viribus adimplere propositum conabimur.

Si eminenter præ aliis corporis partibus caput afficitur, talibus nonnùmquàm cranii tegumentum convulsionibus agitur ut ingenti quasi horrore rigeant capilli; aliter sæpè rugatur vicissim et explicatur frons, attolluntur supercilia aut sicut indignantium contracta deprimuntur; non rarò nictitantes miris quandòque modis palpebræ moventur, ipsi quoque afficiuntur oculi atque subindè aut oscillant, aut in orbem continuò rotantur. Aspectus ipse variò modificatus indè, jàm tristis, jàm minax, superbiens aut alius apparet. Os plerùmque ringens, nunc ad aures detrahitur, nunc verò ad gustandum quasi osculandumve componitur. Dejecta non nunquàm facies mox flentis mox verò ridentis imaginem profert. Labia sæpè tremescunt, dentesque intensiori quasi præ frigore strident; bucca sursùm deorsùmque convulsa innumerabiles et infinitas in facie distortionem excitat. Solo veluti pondere caput in unum alterumve flectitur latus, aut mirandis aliquandò ut renuentium vel decrepitorum modis vexatur, rotatur, vel in omnem partem jactatur, nunc versùscapulas retrahitur, nunc totum adeò retorquetur ut, occipite tergo quasi depresso, horribilem adstantibus præbeat aspectum (Misc. n. cur.)

Frequenter etiam cervix mirabiliter agitur, nunc antrorsùm curvata, nunc verò retrorsùm aut ad latus denique utrumque jactata reperitur, ità ut anseres quasi imitari vellent ægri.

Extremitatum præsertim motibus fidem omnem excedentibus ac gesticulatoris exercitatissimi artem eludentibus oculi stupentes feriuntur; non

solùm enim morbus in gesticulationibus insolitis, iisque motibus involuntariis aut contorsionibus variis quos plurimi notant auctores, consistit, verùm nonnulli vicinia fortiter ægri manu feriunt, ac si cymbali pulsationes reddere vellent. Jactatâ continuò Brachia nunc inanibus auram ictibus verberant, nunt ità moventur ac si æger sese ad natandum aut volandum accingeret. In quibusdam manus aut sola dextra aut sinistra motus diversissimos, incertos atque rotatorios, imò ferientis nonnùquam vel tundentis exercet; sæpè quidem voluntati, sed semper ineptè parent, ità ut vas quodcumque liquore plenum aut subvertat, aut aliis quàm ori, faciei partibus admovendo, adstantibus etiam invitis risum eliciat.

Nonnulli quandòque ægrotantes digitis versus scandere, alii nere, instrumentum alii musicum quodcumque tractare, aliaque non minùs stupenda exequi alii videntur.

Nunc aliquâ jàm mentis imbecillitate capti mox quidam comas extrahunt atque crines dispergunt ægri, mox stragula convoluta rejiciunt corpusque denudant.

Et artuum inferiorum muscoli non minùs convulsionum diversorum fiunt participes: pedes enim continuò jactati nunc dextrorsùm, nunc verò sinistrorsùm cum vel sine tremore moventur; aliter ad nates quin imò ad occiput usquè reflectuntur. Eâ non rarò patientes mirâ pedum gaudent mobilitate, ut quemdam obvenientem quasi calce petere aut equorum adinstar recalcitrare videantur. Progredientes interdùm ac si verè musicâ essent concitati aut saltantium more rhythmum servando incedunt, aut reverâ ad summam usquè corporis defatigationem saltant. Nonnulli pedem uti scalam ascendentes aut impredientem lapidem transcendentés attolunt, alii talo firmiter insistunt, vel claudi pede sæpissimè sinistro, rariùs dextro incedentes, alterum convulsum ægrè trahunt. Hæc claudicatio frequentissimum choreæ et solum crebrò vel primum quo morbus incipit est symptoma. Quibusdam tamen absoluta denegatur incedendi potestas, dùm alii contrà immobiles stare, sedere aut in omnem sensum currere coguntur.

Diversissimis etiam truncus agitari motibus solet: convulsionum quandòque vi humum fusi serpentis adinstar patientes incurvantur, in altum interdùm feruntur, mox uti pisces in pavimento subsultantes iterùm prosternuntur; nunc postrorsùm aliquandò antrorsùmve corpus incurvatum

multiplices conspicientibus offert figuras, nunc super propriam verò axim totum circumgiratur. Sunt et ægri qui saltûs speciem gallicè *culbute* vocati perficiunt.

Unum subindè chorea corporis dumtaxat latus detinet; at quamvis aliqua tantùm vel frequentiùs aliis pars afficiatur, attamen voluntarios simùl omnes ferè nostri compaginis musculos posse morbum aggredi, diversorum sat plurima comprobant medicorum exempla. Non desiderantur auctores qui morbum more paralysis sinistrum sæpiùs quàm dextrum occupare latus proferunt; Wagnerus sese choream alternatim dextrum et sinistrum afficientem vidisse contendit.

Neque vocis organa ab influxu morbo immunita manent: ità lingua nonnunquàm afficitur, ut ore tremulans exeratur, tùm balbutiem, difficultatemque verba proferendi, tùm veram quandòque aphoniam parit. Convulsivis etiam labra motibus interdùm jactata risum quemdam sardonicum exprimunt, haud secùs ac si adstantes risu exciperemus maligno. Fauces non rarò cum eminenti suffocationis metu constringuntur; undè potus deglutiri nequeunt aut assumpti per os naresve, tussi subortâ, rejiciuntur. Respiratio sæpè difficilis et anhelans observatur. In quibusdam sub impetu choreæ lotium ac fæces emittuntur, dùm in aliis nonnunquàm, vigente paroxysmo, dysuria accedit, quo tamen absoluto, urina foràs propellitur.

Quamvis in plurimis nec sensuum nec rationis usus debilitentur, in aliis crebrò mens de morbi influxu participat; indè notabilis intellectûs alteratio, primus quandoque imbecillitatis gradus, nulla in rebus attentio defixa, nec ulla studiis incumbendis aptitudo, memoriæ lapsus, dolores capitis frequentes, vertigines, agitatio identidem ad delirium accedens, somnus sæpè placidus totius quandoque corporis concussionibus, ploratu ac sumniis terrificis perturbatur. Quàm plurimi melancholiâ affecti, omnium oculos effugiunt, alii morosi, ferè omnes ad iram proni, emaciati, pallidi, palpitationibus ut plurimùm sunt obnoxii.

Sæpenumerò functiones cæteræ ritè perstant, nisi in quibusdam ægris ciborum appetitus adeò depravetur, ut quævis obvia etiam insolita uti lignum, vitrorum fragmenta aliaque devorentur. Hinc varia clàm ingesta ac per alvum postea aut vomitum eliminata diabolo et sagarum artibus adscripta sunt (Berntius).

Morbi typus. Nunc choreæ symptomata sine ullâ sæviant interruptione, nunc verò vehementiâ aut numero decrescunt, nunc ut plurimùm per certum temporis intervallum planè silent. Paroxysmus non rarò omni nocte subito ingruit et adveniente sole cessat (ut nobis retulit Clarissimus medicinæ professor *J. L. Kesteloot* nuper in filiâ septem annorum affectâ labe scrophulosâ observâsse casum) et vice versâ; aliter singulis diebus semèl, bis aut sæpiùs, vel longiori temporis intervallo ut omni mense recurrit. Accessûs duratio ratione æquabili vel inconstante tùm ad horam tùm verò ad dies usquè aliquot extenditur.

Nonnulli, paroxysmo absoluto, si quamdam corporis lassitudinem excipias, optimâ ut plurimùm valetudine fruuntur, atque consuetis obeunt muneribus, alii verò, remittente morbo, veluti artuum inferiorum paresi laborant ac sub minimo etiam motu sudoribus profluunt.

Necroscopia. Varia exhibuerunt signa choreæ succumbentium cadavera ut sunt: pseudo-membranæ circà cerebrum efformatæ, a præviâ hujus visceris inflammatione superstites; Prichard in cerebro et medullâ spinali collectionem serosam apud quatuor infantes choreâ demortuos nuper invenit; Cel. verò Georget semèl massam canceraticam in cerebro detexit.

Morbi sedes. Itaque nos morbi sedem in encephalo et maximè quidem in specu vertebrali existere credimus.

Diagnosis. Ullum vix uti choream morbum invenies qui medicorum etiam expertissimorum totiès illuserit judicia; sed hujus interdùm cum alio commutationis exurgit ratio, quòd falsam sæpè chorea nevrosium aliarum formam induat. Itaque prætium opere morbi a consimilibus dare differentiam putamus. Quibuscum ergò chorea præter simulatam facilè valeat confundi, affectiones annumerandæ præcipuè sequentes: epilepsia, mania, morbus cerealis, tremores, somniatio et paralysis.

Virgines interdùm inconsulto durioris cælibatûs voto adstrictæ libertatem amissam obtinendi gratiâ choream simulant. Quamvis subtili nonnunquàm juvenes morbi simulatione, facilem a parentibus magistrisque scholas derelinquendi veniam obtineant, attamen non rarò quædam precursoria veræ choreæ symptomata quæ in juvenibus occurrunt, malæ consuetudini,

imitatione pravæ aut ineptiæ juvenili, morbo prorsùs incognito, a parentibus et institutoribus adscribi et severè puniri solent, sed tardiùs ipsos objurgationum et punitionum immeritò inflictarum pœnitet!

Nec his decipiatur medicus contorsionibus, gesticulationibusque simulatis quibus sæpè mendicantes aliique sortis vilioris homines ad commiserationem adstantium movendam utuntur; tali nonnunquàm ipsi ferè omnes multiplicem morbi formam solertiâ ludunt, ut sæpè fraus difficulter detegatur.

Membrorum actus inconcinni miræque gesticulationes in encephalite, hydrocephalo, apoplexiâ, hydrophobiâ aliisque frequenter accidunt; quæ cùm ex illis ægritudinibus originem trahant aliisque singulo pathognomicis morbo symptomatibus concomitentur, ad choream saltèm essentialem minimè sunt revocandæ. Non memoratu tamen indignum, acutum quandòque morbum in prædispositis secundariam provocare choream et complicationem constituere peculiarem posse.

Ab *epilepsiâ* sequentibus differt *chorea sancti Viti*: 1° ad hanc disponit juvenilis, ad illam potùs adulta et provector ætas; obvenit prætereà in morbo comitali frequentius hæreditaria quàm in choreâ dispositio; 2° hanc non prænuntiat aura sic dicta epileptica; 3° externorum sensuum et internorum abolitio pathognomicum constituit epilepsiæ symptoma quocum sese nunquàm comite chorea prodit; 4° in epilepsiâ tonicæ partim partimque clonicæ, in choreâ verò solæ clonicæ prævalent convulsiones; 5° stadium epilepsiæ convulsivum vix ultrà dimidiam perdurat horam, dùm in choreâ sæpiùs ad horas quin imò ad dies extenditur usquè; 6° in epileptico insultu nunquàm deficit, in choreâ verò semper status deest soporosus; 7° exitûs etiam respectu chorea ab epilepsiâ differt; hæc multò gravior in ipso nonnunquàm paroxysmo patientem apoplexiâ necat; illa verò mitior rarissimè per se lethalis ac faciliùs aptâ penitùs fugatur medelâ. Cæterùm posse cum epilepsiâ choreæ complicationem adoriri complura testant auctorum exempla. Quapropter *choream epilepticam* admittens sic Berntius ait: « Choreæ quandòque symp- » tomata in subjecto epileptico caducos alternatim insultus sequuntur, » vel uno eodemque paroxysmo, talis morbi utriusque apparet compli-

» catio, ut nonnunquàm dijudicatu difficilè ferè videatur, nùm chorea,
» nùm verò epilepsia sit affectio. »

Quamquàm nonnulli chorea affecti mentis aliquâ frequenter sint imbecillitate capti, inconsuetosque verò maniacy motus nonnunquàm ac gesticulationes perficiant, attamen sat magna facilisque distinctu *choream* inter et *maniam* exurgit differentia; in illâ enim actus incongrui et quidem truculenti, mentis conditioni nunquàm respondent, at qualiscumque hæc fuerit, sunt semper inanes, neque in aliorum hominùm perniciem unquam diriguntur; insaniâ verò furiosâ correpti non solùm in alios sed in se ipsos de industriâ sæviunt. Licèt in choreâ occurrat *Malleatio* (violentiores capitis in objecta vicina motus), hæc sanè non mente turbatâ vel improbæ voluntatis imperio, verùm convulsivo et involuntario nascitur motu; perniciosos æger ritè motus ac læsiones sibi ipsi aut aliis inflictas noscit, hosque libentiùs sisteret, si posset, actus. Id tamen non impedit quominùs cum illust. Berntio *Choream* maniâ aut saltem delirio complicatam admittamus. Num ergo F. Platerum, Tulpium aliosque saltationem S.ⁱ Viti nomine sed incongruè choreomania insignâsse quid mirum?

Accuratissimas *morbi cereâlis* observationes cum symptomatibus choreæ conferentes, sequens affectionem inter utramque reperimus discrimen: 1.º convulsio cereâlis non uti chorea in constitutionem corporis nervosam præ aliis propensior neque ad ætatem juvenilem restricta, nulli vitæ tempori nulloque temperamento parcit; 2.º sola morbi cereâlis causa in frumenti secale cornutum continentis protractiori residet usu; causas verò choreæ toto cælo diversas hujus morbi ætiologia docebit; 3.º nonnisi autumnale Raphania tempus, cùm verò chorea prædiligit nullum; 4.º convulsio cereâlis semper epidemicè per provincias præsertim Germaniæ grassari, chorea nisi sporadicè cujuscumque regionis incolas aggredi visa est; 5.º convulsiones Raphaniæ quibus et hæc quandoque destituitur, non id sanè, quod rectè choreæ singulare, comicum aut ridiculum in motibus ostendunt; abest in illâ sensuum tùm externorum tùm internorum exaltatio morbosa, quâ interdùm chorea somnambulismo accedit; potiùs in Raphaniâ motuum torpor et sensuum singulorum

stupor prævalent; 6.º differt a choreâ convulsio cerealis pathognomico huic proprio symptomate, quo ferè nunquam illa comitatur, molesto nempè ac sæpè dolorifico formicationis jàm in digitis solùm, jàm pedibus et mox toto orituro corpore sensu haud dissimili illi, quem, compresso cubitali aut ischiatico nervo, in brachio crureque percipimus; 7.º nulla consuetim nec de die nec de nocte morbi cerealis est remissio, dùm convulsivi choreæ motus sub placido ægrotantis somno plerùmque silent; 8.º transit ut plurimùm, ni aptâ brevì devictus medelâ, morbus cerealis in nevrosim aliam, frequenter epilepsiam, idiotismum, maniam aut aliam quamcùmque vesaniæ formam vel et, subortâ sæpiùs extremitatum gangrenâ, in mortem luctuosam terminatur; quamvis et chorea morbus sit etiam diuturnus, rarò tamen nisi complicatio accedat infausta, lethalis observatur.

His a *tremore* discrepat *chorea*: 1.º non multiformibus in illâ gesticulationibus, jactationibusque choreæ genuinis membra torquentur, sed sursùm nunc aut deorsùm, nunc ad latus utrumque fluctuantia inter voluntarios potiùs nutant motus; 2.º haud rarò tremor, si pars tremens sustentatur, cessat aut aliàs invalescit; quæ sanè pro motibus choreæ perversis non militat conditio; 3.º senum, potatorum aliorumque tremor est consuetim insanabilis, dùm convenienti chorea, paucis tantùm exceptis casibus, debellatur medelâ. Posse tamen cum tremoribus connubium inire choream J. Frank (*) et Berntius affirmant.

Quibus accedit *somniatio*, sensibus externis omnibus interceptis, nictitantes aut oculis clausis è lecto de nocte surgunt, consuetis obeunt muneribus atque scenam quandòque non immunem periculo ludunt; indè quædam apparet cum chorea similitudo, sed varii tunc gestus non, ut in choreâ inanes, verùm ad factum quodcumque repræsentandum instituti. Cæterùm plura cum somniatione choreæ complicationem accidisse, imò et hâc detentos non rarò somnambulorum actus peregissee confirmant exempla. (chorea somnambulistica Berntii.)

Quàmquàm in chorea voluntatis imperio haud parent artus, hæc tamen

(†) Præceos medicæ universæ præcepta.

affectio nullatenùs est *Paralysis* vocanda, quâcum semper motuum sensuum que abolitionis, conjuncta manet idea. Iisdem intcreà causis relaxatio paralytica quibusdam in musculis nonnùquàm, in aliis verò tremores aut motus producuntur convulsivi; sæpiùs etiam convulsio cum paralyti apparet nupta et eâ ratione partem eandem, alternatim affligens, ut hæc modò convellatur, modò resolvatur eadem, post iterùm convulsionc pars, iterùmque vexetur paralyti.

Morbi divisio. Recentiores nonnulli et præsertim D^r Bouteille choream in *essentialem* sive morbum per se, et in *secundariam* sive morborum aliorum symptoma dispertiunt; quæ ex hâc distinctione in curam redundet utilitas neminem sanè medicorum fugit. Eandem itaque in nostrâ dissertatione morbi divisionem amplectimur ac utriusque speciei causas varias, prognosim et curam observationibus dilucidare adnitemur.

Causæ prædis-
ponentes omnis
chorea.

Adoritur chorea imprimis subjectos vitio quodam hæreditario laborantes, sexum fœmineum, vitæ periodum inter secundam dentitionem et pubertatem, pueros parentibus nervoso temperamento præditis genitos aut qui infantili ætate ad affectiones quasdam convulsivas dispositionem prodiderunt. Et huic morbo disponunt quoque corpus gracile, educatio effæminata aut nimis severa, certa idiosyncrasia, diathesis scrophulosa, scorbutica et rachitica; præmatura et protracta onaniæ consuetudo, apud adultos quotidiana veneris vel potuum spirituosorum abusus.

Chorea essen-
tialis et ejus
causæ excitantes.

Quæ nec symptoma nec effectus est alterius morbi choream vocavimus *essentialem*: hujus ergò causæ occasionales frequentiores sunt: vehcmentiora animi pathemata imprimis terror sæpiùsque, aliter mæror, iræ vel invidiæ motus, vota denique cupidiora non secundata ut sunt amor infelix aliaque.

Non est sanè quod miremur si chorea tam frequenter puellas ad pubertatem accedentes aggrediatur; tunc temporis enim genitalia ad novam functionem exequendam naturæ conaminibus vocata, ingentes eorum evolutione in universâ œconomiâ suscitant mutationes, irritabilitatemque in sequiori naturaliter quàm in nobiliori sexu majorem adeò exaltant, ut, levissimâ tantùm causâ subortâ, facilè ac derepentè totum systema nervosum perturbetur, cujusque tum tumultus eò majores quò magis temperamentum ægræ nervosum vigerit, reperiuntur. Quid ad choream propagandam vis

imaginationis ac nisus imitandi possint, hodiè ignorat certè nemo. Etenim quid visu solo, fortique exindè in cerebrum impressione, citiùs est impertitu faciliùsque quàm variæ affectiones nervosæ? Nonne quotidianis indubiisque probatur observationibus, unum solummodò ex ingenti collectorum infantum aut fœminarum numero convulsionibus correptum, simile in alios subito procreâsse malum? Nùm aliam ergò quàm nisum imitandi causam agnoscebant generales isti felini clamores, quos religiosas cujusdam monasterii quotidiè simul omnes câdem horâ edidisse, et quos solum refrenâsse metum virgarum supplicii à præpositis infligendi militibus narrat Cel. Nicole? Nùm quid aliud de Sacrarum Paginarum dæmoniacis, de convulsis (convulsionnaires) St. Medardi, aut et denique de choreâ ipsâ per Germaniam olim, seriùs inter infantes Harlemienses epidemicè grassante et quam tam ingenioso summus Boerhaavius (1) compressit modo? Sed quin de his plura, tùm temporis tùm hujus speciminis coarctatum obstat spatium; itaque conceptum nostrum prosequentes ad observationes choreæ essentialis devenimus.

« Le 27 Avril 1827, je fus appelé chez le sieur T..... pour y donner mes soins à sa petite fille âgée de 11 ans et malade depuis 7 à 8 mois. Sa maladie dont la cause occasionnelle était inconnue, avait été regardée par les gens de l'art que l'on consulta comme une chorée secondaire provenant d'une affection vermineuse; on avait donc prescrit successivement toute la série des vermifuges, sans en excepter les plus héroïques. Tous ces remèdes furent employés sans succès, au contraire loin d'amender la maladie, ils l'aggravèrent à tel point que la petite fille fut réduite à un état voisin du marasme. Lorsque je la vis pour la première fois, voici ce que je pus observer: amaigrissement général et très avancé, air hébété, langue sortant de la bouche et contractée vers la droite, distortion de la mâchoire inférieure vers le même côté avec difficulté de s'exprimer; des contractions involontaires des muscles et des mouvemens très irréguliers de tout le côté droit forçaient la petite malade à traîner toute l'extrémité inférieure droite comme le ferait un paralytique, et l'empêchaient en même temps de se servir convenablement du bras du même côté. Je remarquai surtout que les

Observationes.

(1) Vide Lofrede op Hermanus Boerhaave, door J. L. Kesteloot.

accès se succédaient à des intervalles très rapprochés et que le côté gauche n'était jamais affecté.

L'ensemble de ces symptômes ne me laissa aucun doute sur la nature de la maladie que je considérai comme une chorée essentielle bien caractérisée, puisque la malade ne se plaignait d'aucune douleur, que toutes les fonctions, exceptées celles indiquées ci-dessus, s'exécutaient dans l'état normal, et que malgré l'administration prolongée des purgatifs et des anthelmintiques même les plus énergiques, elle n'avait évacué aucun vers. Relever les forces abattues et corriger l'état anormal du système nerveux, telle était la double indication à remplir. Pour y parvenir, je prescrivis la Valériane en poudre unie à l'extrait de quinquina, et après vingt jours de cette médication j'eus la satisfaction de voir la petite malade entièrement rétablie (1). »

Hanc præcitata consultò referimus observationem, ut et forma morbi consuetior, summaque Valerianæ sylvestris in hunc devincendum virtus appareat.

Quùm omnes ferè practici choream semper juniores, seniores verò nunquàm adoriri contendunt, abusumque potuum spirituosorum ut causam morbi prædisponentem taceant, quùm et etiam nonnulli inter quos Geoffroy universales choreæ convulsiones, mirabiles alii effectus Valerianæ negare videantur, adversam liceat nobis opinionem exemplo suffulcire sequenti: anno 1826, vir quidam 58 annorum, lymphatico temperamento præditus ac frequenti deditus ebrietate, cùm vehementem cum uxore rixam iniisset, subito post in choream quasi universalem incidit. E domo suâ ad nosocomium civile deductus talia nobis prælectiones clinicas sub auspiciis eruditissimi et Clarissimi Professoris *Vanrotterdam*, sequentibus obtulit symptomata: motus capitis ut renuentium continui cum verborum simul emissionem difficili aut verà interdum balbutie, brachia motibus convulsivis agitata, imperioque voluntatis ineptè parentia, nisi post multiplices sæpè conatus vas liquore plenum aut aliud quidquid jam ad frontem vel ad aurem invito ægro adductum, ori tandem

(1) Mr. F. J. Jacquet, Doct. en méd. de l'Université de Gand, auteur du mémoire sur l'Ophthalmie de l'armée des Pays-Bas, couronné à Liège en 1825.

inter miras gesticulationes admovebant. Nec erant extremitates inferiores a systematis nervosi turbis immunes, ità ut æger cæterùm animi compos nisi imperfecto saltantium more potuerit incedere.

Intereà sub placido somno involuntarii motus intercipiébantur, aliæque functiones ad normam perstabant. Caractere morbi cognito, sequentem dictavit Clinices Professor formulam :

℞. pulv. rad. Valerianæ sylv. ℥j.
 — flor. Arnicæ. — ℥β.
 Mellis Q. S. ad elect. (spatio 48 horarum sumendum.)

Hæc adeò successit præscriptio, ut post sex dies æger planè convaluerit.

Quæ alteri morbo succedens chorea illiusque est effectus, *secundaria* Chorea secundaria et excitantes ejus causæ. nuncupatur ; cujus causæ consuetissimæ numerantur : suppressa transpiration, testante Plouqueto (1) ; sudor pedum, observante Thilenio (2) impetigines incautè fugatæ ut sunt psora, tinea aliaque ; imminutio massæ sanguinis et humorum, sic hæmorrhagiæ variæ, venæsectiones nimis largæ sæpiùsque repetitæ, diarrhæa vel alvi fluxus varii accidentales aut purgantibus contracti, aliaque remedia aut intempestivè aut ad excessum adhibita ; sanguinis verò congestiones, variarum hæmorrhagiarum habitualium, ut mensium, hæmorrhoidum suppressiones ; morbi inflammatorii exanthematici, ut variolæ, morbilli imperfectè judicati vel curati aut etiam retropulsi ; venena præprimis ex regno vegetabili narcotica, veluti Datura stramonium (3), Hyoscyamus niger, Belladonna, Solanum furiosum aliaque hujusce modi imprudenter ab infantibus deglutita ; item toxica ex regno minerali, vapores et halitus plumbi, hydrargyri aliorumque ex his compositorum ; gastricæ omnis indolis sordes, necnon vermes, quod sæpè, in ventriculo vel intestinorum tubo degentes ; morsus et ictus animalium, canis rabiosi, muscæ majoris (4) ; vehementiores cerebri vel medullæ spinalis commotiones, rudior infantum castigatio verberibus in caput aut columnam vertebralem directis ; læsiones mechanicæ ut apud auctores notantur : vulnera mammæ, hujus amputatio, oculi quoque ac cerebri vulnus, calculi renales et urinales (5) ; præcox ulcerum

(1) Diss. Triga obs. Med. Tubing., 1787. — (2) Med. e. Chir. bemerk. Frankf., 1814. — (3) Commer. lit. Norimb. an. 1744. — (4) Misc. n. cur. Dec. v. an 9. — (5) Sammlung auselesener abhandlung 1 - 5 - 7 B.

occlusio , compressio hallucis ex ungue reflexo (1); systematis uterini vitia organica varia , referente Richter ; læsio quæcumque testiculi et hujus phlogosis (2) ; graviditas , confirmantibus Riedlin et F. Frank (3) ; febris intermittens spontè cessans , observante Sumeire (4). Posse denique choream secundariè à sequelis apoplexiæ , lethargiæ et eclampiæ , a doloribus ad sternum perceptis , à Rheumatismo arthritide aliisque gigni Bouteille refert.

Observatio. J. Franck sequens choreæ secundariæ præter alia citat exemplum :
 » Anno 1800 , virginem judæam pater meus , à choreâ sanaverat. Incolumem indè vitam duxerat , donec an. 1815 , matrimonio inito , gravida evaserit. Tunc verò vix menstrua fluere desierant , cùm chorea de novo vehementer recrudesseret. Convulsiones diu noctuque ægram mentis quidem compotem verè furibundam detinebant , ac cutis universa hinc indè escharis gangrenosis cooperiebatur. Tentatis incassum omnibus artis auxiliis , venæsectione non exceptâ , salus non nisi ab abortu expectabatur , quo quinto graviditatis mense secuto , pristina valetudo rediit. »

Prognosis. Chorea , morbus est in genere vix ullo vitæ periculo notatus , liceat hunc vulgus imperitum tanquam affectionem magicam et inde formidandam existimet , rarissimè lethalis , qui sola interdum naturâ sanatur , aptæ facile cedit medicationi , nullum post se malum relinquens. Diversum tamen determinatur præsagium nempè ratione ætatis agri , duratione morbi , at præcipuè ratione gravitatis causarum , symptomatum et complicationum. Quò junior itaque fuerit æger , quò pubertatis tempori proximior , quò morbus recentior et simplicior , quò causa denique levior , eò feliciùs succedet cura. Quæ ex causis mechanicis aut aliis inamovibilibus oritur chorea præsertim si vitium hæreditarium aut infausta cum aliis convulsionum specibus complicatio subsit , difficiliorem medelam admittet. Morbus , si causa gravis , spontè sibi relictus , in epilepsiam , paralysim , apoplexiam , tabem aut maniam transire solet. Si apud adultum chorea sit apoplexiæ aut lethargiæ sequela , ferè semper est lethalis.

Causa proxima. Inter hypotheses varias omni tempore ad causam proximam choreæ

(1) Misc. n. cur. Dec. 1 - 11. an 6. et J. Frank. — (2) Dict. des Scienc. Med., art. Chorée. — (3) Lin. med. an 1696. — (4) Journal de Med. T. LXXXV.

aliarumque affectionum similium explicandam extractas, hæc sequens nobis non spernenda videtur opinio; nempe causam proximam choreæ consistere nunc in systematis nervosi *incitamento nimio*, seu proprietatibus vitalibus auctis, nunc verò in *incitamento deficiente*, seu his ex detractone rerum vim vitalem physiologicè stimulantium diminutis. Sat superque sit hæc de causâ proximâ posuisse, quum coarctatum nostræ dissertationis spatium vetant quin dilucidentur.

Duplex in choreâ gravis utraque momenti venit indicatio, altera nempe Morbi cura. singulum prudenter regens accessum, altera verò morbum ipsum oppugnans.

Ut congruè priorem hujus muneris partem medicus exequatur, eò præ Stante paroxysmo. cæteris omnis erit ejus convertenda attentio, ne violentioribus corporis motibus æger irreparabile sibi aut aliis damnum inferat, neque vi unquam periculosum patientis convulsiones inhibendi gratiâ tentamen instituat. Consultum quoque infantes, irritabiles fæminæ, menstruantes, prægnantes aliique ab ægro, nunquam soli tamen sibi relicto, sedulo amoveantur, ne simile aut aliud quodlibet imitatione vel terrore malum contrahatur. Si motus vehementiores ægrum lecto detinere jubent, ponderosis ille nunquam obruendus, sed levibus tegatur potiùs stragulis, tepido solùm exhibito potu. Si pharmaca ad symptomata mitiganda quædam indicarentur, nec alia commendare prudentia suadet quam aromatica præsertim antispasmodica: infusa flor. Aurantii, Camomillæ, herb. Chenopodii, rad. Angelicæ, vel et levia quædam narcotica: infusum stip. Dulcamaræ, ext. Hyoscyami aliaque.

Jam alterum multisque pressum difficultatibus instat medentis officium Silente paroxysmo. quo, cessante paroxysmo, morbus aptis extinguitur medelis. Sed si varia variis auctoribus ad choream debellandam jactata vicissim remedia animo volvimus, mox ad errores viasque curandi oppositas deducimur incerti. Etenim quis medicorum inter tot medicamina quæ nunc ille spernit quæque nunc laudibus extulit alter, dubius non hæreret? Sed eò diversarum opinionum latet discrimen, quod sæpè qui nec causâ, nec indole morbi rectè perspectâ, ab auxilio quodam perperam oblato, quod tamen disposito corpori subministratum successisset, optatos non perceperunt effectus, hoc statim tanquam nocivum aut virtutis nullius,

hujusque Divi Senis Aphorismi haud sanè memores respuunt: *remedium nullum nisi usu tempestivo tale fit*. Indè duæ sequuntur indicationes quarum prima *causalis* aut *præparatoria*, quæ omnem quandoque curam absolvit, altera verò *radicalis* aut *confirmatoria*, quæ systematis in convulsionibus dispositionem, aut aliis verbis, effectus ultrà causam perstantes tollit.

Cura causalis. Itaque si diathesis scrophulosa, scorbutica vel rachitica exortum intertineat malum, his optima quæ noscimus affectionibus sunt opponenda.

Quod si nimiae sæpiusque repetitæ seminis deperditiones seu coïtu effreno, seu ex turpi masturbationis vitio organismum ad choream jam evolutam lente disponuerint, hoc medico primum incumbit opus, ut pravam ægrotus consuetudinem amicâ persuasione præmonitus, iisve damnosis succumbentium vitiis luctuosâ tactus imagine derelinquat. Commendandum prætereà ut quæ ratione quâcumque genitalia valeant stimulare, solertiùs evitentur. Hic inter remedia interne sumenda meritis antagonistica Camphoræ in systema sexuale virtus, Cortice Peruviano et ferro simul adhibitis, laudibus extollatur.

Quùm causa prædisponens suam ex protracto et quotidiano potuum spirituosorum abusu originem trahens medentem non fugerit, nullam æger valetudinem obtinendi spem foveat nisi malâ consuetudine priùs abstinuerit

Ignorat sanè medicorum nemo quantùm olim invaluerint, quantùmque adhuc, sed apud paucos tantùm rudissimam prodentes empiriam sanguinis detractiones copiosæ cum repetitis purgantibus ut sola choreæ remedia jactentur. Hanc esse magnâ quàmquàm suffultam auctoritate methodum in omni indiscriminatim adhibendam casu, plurimi rejiciunt meritò nobiscum, sanguinisque missiones et evacuantia stupendos, sub indicatâ rerum positione, effectus exhibuisse non negantes. Quò floridior et robustior æger, quò periodo pubertatis proximior, quò recentior morbus fuerit, quòque magis symptomata inflammatorii statûs extrà paroxysmos viguerint, eò tunc Sydenhamianæ methodi felicior erit applicatio. Itaque si virium exorbitantia cum plethorâ universali existentem choream produxerint, largiores cum antiphlogistico regimine venæsectiones juvabunt, omnemque sæpè, infausta ni subsit complicatio, curam absolvent. Sic

etiam ubi, variis suppressis hæmorrhagiis, sanguinis in parte quâcùmque congestiones essent timendæ, tunc peractâ venæsectione, aut eâ, nisi planè sit indicata, omissâ, pro casu diverso, hirudines ad tempora, columnam vertebralem, perineum, pudenda externa, internam crurum faciem positæ, conducent. Nec sic dicta antiphlogistica in his circumstantiis omittantur purgantia quæ sat cognita hîc silentio sunt prætereunda.

Alia longè totius erit Therapiæ directio si menstruatio suppressa, silens aut præter consuetudinem parca causam choreæ, sistat, pro vario tunc hujus secretionis vitio, plethorâ generali, auctâ sensibilitate aut actionis vitalis in systemate uterino torpore, venæsectiones ex brachio atque pede ad vires ægrarum institutæ, et nervina antispasmodica simul cum prudenti remediorum in uterum agentium usu quadrabunt. Quî sit aliis consuetis sanguinis deperditionibus ut hæmorrhoidibus suppressis occurrendum, medico causam avertendi nullum erit dubium.

Si verò transpiratio suppressa exortæ fuerit choreæ culpa, ad regimen diaphoreticum ratione sensibilitatis ægri et spasmodorum cutim simul tenentium non neglectâ, erit confugiendum.

Impetigines incautè fugatas rubefacientibus aut vesicantibus necnon frictionibus Antimonialibus aliisque medicis revocare seu vicariam intertinere plagam studebit.

Indicabuntur suo loco incitantia et roborantia, si debilitas systematis nervosi, totiusque reproductionis languor ex variis hæmorrhagiis, alvi fluxibus protractis, aliisve hujus generis debilitantibus causis jam in morbi ætiologia notatis, procedentes, choream induxerint.

Princeps erit medentis indicatio revocare exanthemata si horum imperfecta judicatio aut subitanea retropulsio originem choreæ dediderint, in hunc scopum diaphoretica potentiora et exanthematum indoli convenient accommodata.

Ubi toxica imprudenter quæcumque fuerint assumpta, esse patet urgentius nihil quàm ut hæc in ventriculo adhuc hærentia per emesim evacuentur aut congruis, tempus si desit, oppugnentur antidotis.

Quàm sibi heterogenia cum alimentis ingesta, vel gastricæ indolis cujuscumque sordes curationem poscant, est sanè nemo qui ignorat.

Sæpè vermes, consuetissimi intestinorum hospites, evolvendæ non parùm favent choreæ; quos si necandos evacuandosque determinat casus, ex anthelminticorum numero, quæ incitante et antispasmodicâ gaudent virtute, eligere juvabit. Hîc optimè Valeriana sylvestris, semen Santonicæ, Spigelia anthelmia, Absynthium, Assa fætida, aliaque purgantibus, nunquàm verò drasticis à Strak propositis, nupta conducent. Hanc prætereà methodum, ab Hamiltono in omni choreâ celebratam, ultrà debitos limites extendere rudi empiriâ qui conantur, quàm maximè improbandos esse censemus.

Præstanda quædam manu Chirurgicâ ad curam causalem instituendam non negligantur auxilia: sic læsiones, vulnera, contusiones et commotiones, insectorum ictus, aut animalium irâ vel furore percitorum morsus, aliaque ad forum Chirurgicum pertinentia legis arte tractentur, aut si hæc fieri nequeant, harum saltem causarum effectus temperentur, imò et ulcera præcociter occlusa mox revocentur, aut ipsis artificiales substituantur fonticuli.

Calculis renalibus et urinalibus atque cognitis in systemate uterino vitiis organicis remedia consultum erit opponere nota.

Quænam sit choreæ graviditate productæ causalis cura, præcitata docet observatio.

Cura radicalis. Quamvis sua quisquis auctorum specifica jactantibus solet proclamare verbis, universale tamen nobis remedium choreæ semper opponendum hucusquè deficit omne; huic intereà varia tùm fide tum experientiâ longâ si non in omni, in quodam saltem casu prædilecto probata, amotâ priùs, si adsit, morbi causâ, supplere possunt auxilia. Quæ ex triplici igitur regno decantantur fas sit medicinæ tyronibus proponere ac dilucidare potentiora.

Valerianæ sylvestris summa jam ab antiquioribus medicis celebrata fuit in epilepsia virtus; cujus in choreâ non minor ac in aliis morbis efficacia plurimis nunc recentiorum fide dignis ac propriis quidem testatur observationibus. Hinc optatos ex usu Valerianæ perceperunt effectus Cel. Murray, Cullen, Chaptal, Fuller, Bernt, Guersent aliique ubi chorea vermibus, animi pathematibus et præcipuè debilitate corporis universali intertinebatur, quo casu tunc ultimo simul *Corticem Peruvianum* utiliter præscribebant.

Sese floribus *Cardamines pratensis* choream quoque fugâsse Michaelis

et Nagel contendunt. Plenckius verò et J. Franck summam herbæ *Chenopodii ambrosioidis* ad ϑ bis de die formâ pulveris sumptæ, efficacitatem laudant.

Stollius, Ketterling et Kerrison ab extracto *Belladonnæ* ad sextam dein ad quartam partem grani unius, omni quadrihorio subministrato mirificum obtinuerunt effectum.

Nominis intereà magni non desunt medici *Camphoram* tum internè sumendam, tum enematum, frictionum et balneorum adhibendam formâ commendantes; cujus verò ex usu malas in suâ praxi sequelas oriisse Stollius, Bouteille aliique confirmant. Attamen *Camphoram* in his casibus ubi malum ex refrigerio suscepto, exanthematum incompletâ eruptione vel et irritatione seminali productum, totius systematis nervosi languore et imbecillitate stipatur convenire putamus.

Præclarus hujus urbis Gandavensis Medicus Wauters *Assam fætidam* largâ, quoad mitescat morbus, exhibere manu suadet; quam in simplici non solùm choreâ, sed et in aliis epilepsiâ, hystericâ passione aut insaniâ complicatis sæpè profuisse plurimis adeò comprobavit observationibus, (1) ut summam nunc istius medicamenti virtutem, Clarissimorum hujus Universitatis medicinæ Præceptorum quisque propriâ testare suâ posset experienciâ.

Infusum forte ex floribus *Arnicae montanæ* commendat J. Frank, imprimis si chorea a violentiis capiti vel spinæ illatis aut post cerebri et medullæ vertebralis inflammationem oritur. Hanc et in aliis posse circumstantiis plantam cum fructu tentari ex citato compertum habeatur exemplo.

Expertissimus Noster in arte Chirurgicâ Præceptor Kluyskens salutare effectus extracti *Cicutæ* per clysmata ano injecti luculenter in choreâ recenti et variis animi pathematibus productâ nuper demonstravit (an. 1825).

Sunt et etiam subsidia ex minerali regno quædam in plurimis choreæ casibus constantiori inter alia effectum adhibita, maximo sibi jure specificorum nomen vindicantes. Hic flores *Zinci* reliquis palmam præripere multorum non recusandis auctorum testimoniis constat. Potissimum igitur in choreâ periodo pubertatis accedente aut exanthematibus suppressis provocatâ nunc soli, nec

(1) Journ. de Méd. V. 56.

tamen magnâ dosi (à gr. $\frac{1}{2}$ incipiendo quater de die augendoque sensim ad gr. 11) nunc Valerianæ, Assæ-foetidæ aliisque, si præstat, apte combinati valebunt. Priores plerùmque doses vomitum, sequentes faucium verò constrictiones producunt, posteriores tandem sinè ullis feruntur incommodis.

Cuprum jam apud antiquos in morbo comitiali cæterisque convulsionibus clarum, Boerhaavii, Van Swieten et aliorum alcali volatili postea junctum laudes obtinuit. Walker (1) aliique nonnulli *Cuprum ammoniacale* remedium tonicum vocantes, iis præsertim choreâ affectis convenire notant, quibus est summa corporis cum debilitate et universali laxitate juncta teneritudo. Hoc non immeritis pharmacum encomiis adornatum nonnisi cauta tamen et avarâ propinandum manu sentimus.

Diversa *Martis* præparata tonicis diffusilibus nupta roborandi potius, vermes necandi, mensesque apud virgines pellendi scopo quàm specifico virtute choream sanandi profuisse videntur.

Argentii nitratis fusus magnâ sanè virtute antispasmodicâ in variis convulsionum speciebus pollens, plurimorum jam practicum felici spem in choreâ conceptam coronavit eventu. Hujus heroïci tamen remedii circumspectissimum tantummodo medicus, tentatis incassum aliis omnibus, proponat usum. Ut efficaciam nitratis argenti in choreâ probaret Priou (2) sese nuper duas sequenti Doct^s Merat contendit ægras sanâsse formula: ℞. Nitrat. arg. fus. gr. vj, ext. opii ʒj, moschi ʒij, camphoræ ʒiv, fiant pil. n^o xxiv. Hæc morbum sustulisse non negamus, sed num nitratis argenti suam hîc præstiterit virtutem, nobis liceat movere dubium. Etenim, cui medicaminum præcitorum erit adscribenda choreæ sanatio, si horum quodquod eosdem non rarò prodiderit effectus? Suis igitur innixam observationibus auctoris conclusionem rejicimus, ejusque empyricam pharmacorum maximoperè profusionem improbamus.

Inter alia remedia ex animali regno desumenda solùm eminent pauca: Ovenius *Moschum* ad ʒβ, J. Franck cum *Calomel* in ægrotis admodum sensibilibus commendat. Monro *Castoreum* internè, Madier verò cum *Opio* junctum formâ clysmatis feliciter adhibuerunt.

(1) Med. comment. Edinb. — (2) Journ. compl. du Dict. des Sc. Méd., T. 20.

Oleum animale Dippelii ad guttas xxx vino mixtum choream curâsse observationibus Werlhoffi probatur.

Externa tandem quædam extant auxilia quibus interdum perfecta morbi perpetratur sanatio. *Electricitatem* quondam, seriùs *Galvanismum* et nuperimè *Magnetismum animale* in choreâ et nevrosibus aliis complures felicissimo cum effectu applicaverunt medici (1). De Haen, Fothergill, Bernt, Duman, Baumes (2) aliique curationem pluriès electricitatis ope prosperè successisse memorant; at quùm hæc sæpè curandi methodus per plures menses protrahitur atque morbus nonnunquam, si levis, spontè cessat, vel accedente pubertate evanescit, non inconsultum exindè an electricitati, an verò naturæ molimini tribuenda sit cura, dubium exurgit.

Utilitatem Galvanismi experti sunt Walter aliique.

Magnetismus tandem animalis suos hucusquè patrones invenit et adversarios.

Ferrum quoque mirabiles externè applicatum effectus in choreâ correptis præbuisse ex Wichmanno et Cel. Strak compertum habemus.

Auctores etiam varii balnea tùm frigida, tùm tepida, alii ex camphorâ et herbis aromaticis composita; nonnulli *fonticulos, vesicantia, unguenta varia* ex Assâ-foetidâ, Opio, Camphorâ aliisve ad spinam universam posita commendant.

Non exiguas sibi quoque ad mittigandos accessus choreæ *Muscam* ab antiquioribus jam adhibitam medicis vindicâsse laudes ex Cel. Wichmanni, Van Hoven et aliorum experientiâ confirmatur. Nec mirum hoc sæpè profuisse subsidium; etenim animus harmonico musicæ mirè mulcetur concentu, hilaratur tristis, sedatur iratus, melancholia, nostalgia aliaque fugantur. Sic Doricus sæpissimè cantus gravi lentoque pede notatus, ut nimie pacentur ægrorum exultationes, Phrygicus verò, ut harmonico dulcique concentu congruè tristiâ languentes excitentur, potissimùm jurabunt.

(1) V. Puchelt, Umriss der besonderen Krankheitslehre, Heidelberg, 1827, 1 band, bl. 561. (2) Traité des convulsions des enfans, cap XI.

POSITIONES.

- I. Divisio scorbuti in tres periodos ad curam non confert.
- II. Abortum in quibusdam casibus non solùm posse sed et debere provocari sustinemus et ex nostrâ dissertatione probamus, pag. 20.
- III. Virus sic dictum Blennorrhagicum a Syphilitico planè differre credimus.
- IV. Specifica antiscorbutica non dantur.
- V. Verè dixit de quibusdam Chirurgis Richerand: *Trop de gens n'apprécient leurs succès que par le nombre de ceux qu'ils mutilent.*
- VI. In febribus intermittentibus vernalibus Cortex Peruvianus non unicum et optimum sistit remedium.
- VII. Usus internus Arsenici è medicis est relegandus.
- VIII. Eruptiones ad labia faustum indicant præsagium in febribus intermittentibus et remittentibus gastricis et vernalibus.
- IX. Vomitoria purgantibus utilitate non cedunt.
- X. Immersio corporis subitanea in aquam frigidam ad Choream Sancti Viti, Epilepsiam aliasque convulsiones curandas est improbanda.
- XI. In colli femoris et claviculæ fracturâ sola positio cum suis adminiculis adhibenda; apparatus ergo Desault aliorumque sunt inutiles.
- XII. Quædam inflammationes stimulantibus curantur.

Imprimatur.

J. L. KESTELOOT,
M. F. F. MED. DECANUS.